

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 3520

**Auteur(s)** : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1255, juin

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

L'archidiaconat vacant de Pontoise avec tous les droits y appartenant ayant été confié à l'église de Rouen par le roi Louis [IX], l'archevêque Eudes établit et notifie les règlements sur la juridiction des affaires des bourgeois de Pontoise avec l'approbation du chapitre cathédrale de Rouen.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 535, p. 95-96.
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, n° XXXV, col. 33-34.

Texte établi d'après a

Frater Odo, permissione divina, Rothomagensis ecclesie minister indignus, universis presentes litteras inspecturis, salutem eternam in Domino Jhsu Xpisto. Notum facimus quod, cum excellentissimus dominus Ludovicus, Dei gratia, rex Francorum illustris archidiaconatum Pontisarensem, ex resignatione venerabilis viri magistri Haymonis, quondam archidiaconi dicti loci, liberum et vacantem, cum omni integritate ac plenitudine juris ac jurisdictionis ceterorumque omnium pertinentium ad archidiaconatum eundem, cujus archidiaconatus cum suis pertinentiis ad eundem dominum Regem collatio pertinebat, ad honorem Dei et Beate Marie semper virginis, ecclesie Rothomagensi et nobis, ipsius ecclesie curam gerentibus pastoralementem, contulerit, intuitu pietatis, a nobis [et] nostris successoribus in perpetuum libere ac pacifice possidendum, nosque investierit de eodem, omnia ipsius archidiaconatus jura et jurisdictionem ceteraque omnia ad ipsum archidiaconatum pertinentia in nos et Rothomagensem ecclesiam totaliter transferendo, nos eidem domino Regi promissimus et promittimus bona fide, nostro Rothomagensi capitulo consentiente et etiam approbante, quod nos et successores nostri, qui pro tempore fuerint, deputabimus personam que tenebitur facere apud Pontisaram residentiam personalem, videlicet infra muros castri Pontisare vel in parrochia Sancte Marie Pontisarenensis vel apud Sanctum Martinum Pontisarensem in illo loco de predictis in quo maluerimus nos vel nostri, qui pro tempore fuerint, successores, et in aliquo dictorum locorum cognoscat de omnibus causis burgensium Pontisarensem per simplicem querimoniam conveniendorum, ad forum ecclesiasticum pertinentibus, ipsasque deciderit ibidem, exceptis causis super criminibus hereseos et falsi, de quibus coram nobis et successoribus nostris vel officiali Rothomagensi et non coram predicta persona etiam extra predicta loca per simplicem querimoniam respondebunt. De causis vero aliis non poterunt extra predicta loca coram nobis vel nostris successoribus vel alia quacunque persona, vices nostras vel alicujus successorum nostrorum gerente, per simplicem querimoniam conveniri. Poterunt tamen dicti burgenses vel contra ipsos litigantes a dicta persona in omnibus locis ad ejus forum spectantibus tam a gravaminibus quam a sentenciis ad nos successoresque nostros, qui pro tempore fuerint et ad officialem Rothomagensem licite ac libere appellare. Nos autem et successores nostri

predictaque persona tenebimur dictis burgensibus observare eorum consuetudines rationabiles et antiquas. Nos vero Rothomagense capitulum consentimus dicte promissioni a memorato reverendo patre facte, eandem, prout est expressa superius, approbantes. In cuius rei testimonium nos archiepiscopus et capitulum supradicti sigilla nostra presentibus litteris duximus apponenda. Datum anno Domini MCCLV, mense junii.